



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Methodus Clara Et Facilis Vacandi Orationi mentali Atque Exercendi se cum fructu in præsentia Dei**

**Coloniæ Agrippinæ, 1687**

Caput XL. De eo, qui hyeme post matutinas aut alio tempore accendit  
ignem, quo Religiosi se calefaciunt.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46004](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46004)

5. Milites, qui sub Regibus terræ merent, summo manè tympanorum tubarumve sono, qui sensibus eorum demulcendis nequaquam inservit, quoniam vita eorum dura, operosa ac laboriosa est, excitantur. Agite Patres ac Fratres mei, magni milites Regis, prælium ineamus cum vitis, ac potissimum cum socordia, quæ una cæteris vires ministrat, ac sine qua illa facili negotio vincerentur. *In matutino interficiebam omnes peccatores terra: hoc est omnia vitia, nempe superando desidia, quæ aliorum perverissima nutritrix est.*

*Ps. 100. 8.*

6. Devotio manna cæli est, quod primo manè pro toto die reliquo potius comparandum ac coacervandum est, quàm olim illud materiale, quod Deus in deserto submittebat Israëlitis, quod pleno die omninò reperire non erat. *Ut notum omnibus esset, Domine, quoniam oportet prevenire Solem ad benedictionem tuam, & ad ortum lucis te adorare.*

*Sap. 15. 27.*

## CAPUT XL.

*De eo, qui hyeme post matutinas aut alio tempore accendit ignem, quo Religiosi se calefaciunt.*

*Directio.*

**D**omine Deus, obedientia sancta mihi, injungit, ut ignem accendam pro Patribus ac Fratibus meis, qui tuis jam tum laudibus decantatis somnum repetere habent,

" bent, ad orationem maturè ut queant resur-  
 " gere : lubentissimo animo hoc exiguum il-  
 " lis exhibeo charitatis obsequium , quod of-  
 " fero tibi cum ingenti in eo tibi placendi desi-  
 " derio. Oro te, ut gratiam mihi concedas,  
 " ipsum convenienti cum solertia ac diligentia  
 " ipsis ut exhibeam. Eandem quoque te gra-  
 " tiam oro sacratissima Virgo. Ubi ignem  
 horis accenderit diurnis, eandem directionem,  
 pauculis duntaxat mutatis, præmittere poterit.

Actionis istius *spiritus* consistit in *diligen-*  
*tia*, qua ignem horâ definitâ paratum esse cu-  
 ret, in *charitate*, qua tantum accendat, quanto  
 calefaciendis Religiosis opus erit, atque in *pru-*  
*denti œconomia*, qua plus ligni ne consumat,  
 quam fuerit necessarium, id quod sanctæ ad-  
 versaretur paupertati.

Eædem piæ considerationes, quas nuper  
 annotavimus pro illis, qui se calefaciunt, esse  
 usui quoque poterunt illi, qui ignem accendit.  
 In memoriam etenim revocare poterit marty-  
 rum in flammis constantiam, ineffabiles ardo-  
 res ignis Inferni, cum quo noster si compare-  
 tur, pictus verius quam genuinus ignis est : ac  
 flammam suavissimam, quam Spiritus sanctus  
 in cordibus eorum, qui ad illam concipiendam  
 oratione ac mortificatione, uti oportet, se com-  
 ponunt, accendit. Martyrum ignes ipsum affi-  
 cient admiratione, infernales timore, ac sua-  
 vissima sancti amoris flamma illius concipien-  
 dæ, ut ipsâ corripiamur, accendamus & con-  
 sumamur desiderio.

## CAPUT XLI.

LI 3

De